



C A P. I.

D E

EXPLICATIONE VOCVM
ET DEFINITIONE.

§. I.

Visu apud ICtos receptum est, rem quam tractandam suscipiunt ab interpretatione vocum exordiri: Quod licet tritum nimis et propemodum vulgare, propter monitum tamen VLPIANI in *l. 1. ff. de R. C.* non temere neglexerim, sed eo usque obseruauerim, ut nec scholae leges spreuisse, nec tamen de verbis magis, quam de re ipsa sollicitus fuisse dicar.

§. II.

Remedium dicitur a *Re* et verbo *Medeor*: Proprie significat medicamentum, quo morbis hominum et aliorum animalium medemur, quae significatio apud Medicos frequentissima est, et apud alios autores etiam non incognita. Sic Cicero ad Octauium: *Nulla remedia, quae vulneribus adhibentur tam faciunt dolorem, quam quae salutaria sunt.* Translatum deinde nomen remedii etiam ad Iura et generaliter omnes actiones et exceptiones quibus aliquid in iudiciis petimus, *iuris remedia* dici possunt.

§. III.

Iuridice igitur denotat auxilium, adiutorium, iuuamen vel beneficium iuris, quo in sensu legitur *l. 4. C. qui bon. ced. poss. l. 7. ff. de in integr. restit. et l. vlt. C. in quib. caus. restit. in integr. non est nec. min.*

§. IV.

Reuisorium venit a verbo *Reuideo* vel *Reuiso*, et praeter ICtos apud neminem latinitatis autorem hoc nomen me legisse

A 3

memini,